

- Quo numquam fueris, Malchum^a portare iuberis;
 Cogeris ad Turonos Malchum^a deferre patronos,
 5 In quorum patria locus est, quem virgo Maria
 Virgineo vultu custos regit absque tumultu,
 Quosque Turonenses appellant Nucarienses.
 Servat ibi iustos eadem sanctissima custos:
 Rus equidem gratum, rus fertile, rusque beatum
 10 Gurgite piscoso, gleba, temeto generoso.
 Ergo, Musa, cito loca Nucariensis adito
 Cenobii^b clari, cuius bona cuncta profari
 Digne nulla satis poterit facundia vatis.
 Dat^c cum laude bonam Malcho locus ille coronam.
 15 Ille locus doctos fratres habet atque recoctos
 Celibe^d doctrina, claros et in arte^e Latina;
 Hic habet abbatem Stephanum, cuius probitatem
 Predicat^f urbs Turonis cum plebibus atque colonis;
 Est in laude parum, quod predicat urbs ea clarum;
 20 Displicet, a turbis laudetur ut unius urbis
 Pastor honorandus, sapiens, iocundus, amandus:
 Urbes innumere Stephani laudes cecinere
 Et cupiunt Stephanum, dum vivit, vivere sanum;
 Crebraque dant illi cum magnis vota pusilli.
 25 Huic^g igitur Stephano dictatum carmine plano
 Malchum^a, Musa, dabis; Malchoque^h dato, remeabis.
 Id tibi debetur. Vates sua scripta sequetur:
 Nam quo Malchusⁱ abit, Malchique^k poeta meabit,
 Si spatium^l vite^m mihi detⁿ Deus usque cupite^o.
 30 O pater, o fratres, o dulces sub patre patres,
 Quos fidei munus et quos amor alligat unus,
 Dum veniam^p, rogo te, rogo vos, Malchum^a legitote,
 Quem monachi vestri¹ scripsit manus arte pedestri!
 Ars mea silvestris, fluit artis sermo^q pedestris,
 35 Nil tragicum fatur, non a tellure levatur,
 Nil sonat urbanum, nil grande, nichil Tacianum^r.
 Alceus et Socrates et Pindarus et Sapho vates
 Est^s alii, quorum resonat laus philosophorum,
 Tangunt armoniam celi^t per philosophiam
 40 Aethereisque locis spatiantur^u acumine vocis —
 Nos heremus^v humi, qua possunt pabula sumi:

a) 'Malcum' C. b) 'Cen.' C. L. c) Lies 'det'. d) 'Cel.' C. T.
 e) 'arce' C. f) 'Pred.' C. g) 'Nunc' L. h) 'Malcoque' C. i) 'Malcus' C.
 k) 'Malchi' T. l) 'Spacium' L. m) 'vite' C. n) Verb. aus 'Deus
 det' L. o) 'cupite' C. p) 'venia' T. q) 'pesermo' L. r) So
 Hss.; lies vielleicht 'Statianum', worin freilich auch Quantitätsfehler.
 s) Lies 'atque'. t) 'celi' C. u) 'spac.' C. L. v) 'her.' C. T.